Matthiæ Lei GERMANI

Reginæ Pecvniæ

Liber I.

BONITATIS LAVS,

& commendatio non à quantitatis *dimensione; sed à qualitatis intensione proficiscitur.*

Ad Lectorem Criticum.

Tu, qui hæc Astręæ trutinandâ bilancibus, aut qui
Censoris genij more legenda petis,
Qualia, non quot sint, iusti memor accipe iudex:
Si bona, multa satis; si mala, multa nimis.

Anno Domini 162

De ordine, vsu, & vtilitate quinque librorum Reginæ Pecuniæ.

LIB. 1. *QVàm sit in humanis Regina Pecunia rebus*
Pulchra, potens, facilis, difficiliſq́, cano.
LIB. 2. *Et quàm ſollicita tentetur ab omnibus arrha,*
Prodo in ſexcentis, quos habet ipſa, procis.
LIB. 4. *Quin mala, quæ fugiat qui vult bonus eſſe, reuelo.*
LIB. 5. *Et bona, quæ faciat qui fugit illa, noto.*
LIB. 3. *Quæ demum extremis ſunt his communia metis*
In dubia medij ſede repono loci.
Hæc vt habens habeas, ne ſint tibi cauſa ruinæ,
Tanquam mancipijs vtere diuitijs.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

MATTHIÆ LEJ Germani Reginæ Pecuniæ Lib. I.

Ad eum

Qui regij imperij poteſtate in ipſam dominatur.

Virerum Dominam Plutone parente creatam
Legibus ancillæ, mancipijque regis,
En tibi me toto ſubmiſſum pectore ſiſto,
Quodque ego poſſideo ſolus in orbe fero.
Quod fero, pulchrarum res eſt pulcherrima rerum,
Quas cupiens hominis ſollicitudo petit.
Quod fero cuncta domat, quamuis inuicta putentur
Quæ non vulgari perficiuntur ope.

Ecquid in his tantis Regina Pecunia rebus
Cœpit, & infectum vana reliquit opus?
Vt naturalis magneti est indita virtus,
Qua robur ferri cum grauitate trahit,
Sic huic Augustæ regali cum indole vis est,
Qua quod ei non vult sponte subesse domat.
Mira tamen non est, quamuis sit magna potestas,
Quamuis inuictæ numine digna deæ.
Eius enim species, quæ est plusquam humana venustas,
Allicienſq; homines, allicienſq; deos,
Omnia per totum terrarum subiugat orbem,
Omnigenumq; sui vulgus amoris habet.
Gratia, quæ quondam Charitum fuit, huius in ore
Nunc est, inque oculis, ingenuisque genis.
Is color in facie, qualem generare videmus
Candida purpureis lilia mixta rosis.
Non humilis diuæ, sed Palladis æmula frons est.
Non abit in fastum lene supercilium.
Quæ bene dispositio cessit sine crimine naso,
Forma decet dignam floris odore deam.
Ordine digesti, series vt eburnea, dentes,
Albula sunt rubeis tincta labella notis.
Abdita coralij simulat gingiua ruborem;
Quæque latere solet lingua modesta latet.
Vtraque vicino maxilla est congrua mento,
Mento, quod Paphiæ dixeris esse deæ.
Non habet obstipum, sed rectum, & mobile collum,
Collum, quale videns Cypris habere volet.

Non eſt, quæ dura ceruice nouerca rebellet
Quando cui facilem fert quaſi mater opem.
Quà pendent ſcapulæ pendent æqualiter ambæ.
Inq́ humeros laudem ſumit vtroſq́ parem.
Talia pictores tibi, Dido, brachia, tales,
Penthesilea, tibi ſæpe dedere manus.
Non tergum elatis gibboſa tumoribus effert.
Non delumbatum prodit eundo gradum.
Tarda graui pinguis non eſt abdomine ventris,
Pigra nec eſt lenta corpus habente mora.
Nulla per exuccos macies diffunditur artus.
Quæ latitare ſolent corporis oſſa latent.
Non niſi formoſam decet hæc ſtatura Dianam,
Non niſi ſublimem, ſceptrigerumq́ ſtatum.
Nullus in ipſius reperitur corpore næuus:
Omnia habet ſummæ rebus habenda deæ.
Cingit inauratos pretioſa corona capillos.
In nitida medius fronte pyropus ouat.
Ex bene formato ſe digna monilia collo
Mittit in eximium, pectora nuda, ſinum.
Aurum armillatos facit vt duo ſydera carpos,
Et qui aurum ſuperat nobilitate lapis.
Gemma grauat digitos. Ligat vnio nobilis aures:
Conſpicuoq́ habiles ſtant in honore pedes.
Induitur Tyrio ſaturatam murice pallam,
Quæ ſcatet Attalicis vndiq́ plena roſis.
Arte laboratis micat eminus ordo ſmaragdis
Quà circa pallam quælibet ora patet.

Hinc atq; hinc acies imos adamantina talos
Pendula per manicas ordine pulchra petit.
Incubat in geminos hyacinthus vtrinq; lacertos,
Quiq; est natura pulcher, & arte tuos.
Tota est maiestas: verùm inconstantia vultus
Regnandiq; modus arguit esse leuem.
Dextra gerit dubium, quod constat arundine, sceptrũ,
Cum gemina geminas claue sinistra seras.
Illa syderei penetrale recludit Olympi,
Ast hac Lethæi tristia stagna vadi.
Qui bonus est huius Reginæ moribus vsus
Felix stellatæ ius regionis adit.
Qui malus est huius Reginæ moribus vsus
Infelix Stygijs mittitur hospes aquis.
Vera sed ipsius pauci discrimina norunt,
Qui bene di[illegible]nguit, est pietatis amor.
Totus ei mundus se vltro submittit, & vltro
Infert seruili colla domanda iugo.
Non est humanis tam magna potentia rebus,
Quæ non Reginæ nata sit huius ope.
Hac sine virtutis rarus labor exercetur.
Hac sine vix vllum prodit honoris opus.
Hac sine magnanimi soboles generosa Philippi
Non esset tanti nomen adepta ducis.
Hac sine Romuleos nesciret fama triumphos.
Gloria Cecropidis hac sine nulla foret.
Quæ sunt æternæ miracula cognita famæ,
[illegible]ac facit, & famæ tradit habenda suæ.

Hæc in cæsareo, quod condidit, Amphytheatro
Se nihil indignum, quo pudefiat, habet.
Huic sunt, ô Cares, sua Mausolæa decori,
Quamuis in vestri sint regione soli.
Quando Semiramiam statuit cum mœnibus vrbem
Hæc in thesauris quæ volet esse fuit.
Discitur ex Rhodio, tibi sacro, Phœbe, colosso,
Quàm sit in impensis hæc opulenta suis.
Hac domus Astyagis sit mira fauente nepoti,
Mira per artifices, diuitiasq́ domus.
Etsi olim fuerit Triuiæ ter maxima, maior
Huic tamen, & potior gloria præstò fuit.
Iuppiter huius opes testatur Olympius amplas
Esse in Phidiacæ dexteritate manus.
Corniger, in Lybicis qui syrtibus eminet, Hammon
Hanc vocat authorem, principiumq́ sui.
Pyramides Pharijs æterna sepulchra tyrannis
Hæc posuit genio ceu monomenta suo.
Huic cum fortuna, quæ est maxima, maxima lis est,
Sed lis est primi prostatione loci.
Hæc est, quæ ambiguis inconstans passibus errat,
Quæ creat instabiles imperiosa vices.
Hæc in Cæsarea trabeatos sede potentes,
Inq́ statu, regum sceptra decente, locat.
Quos hæc cunq́ facit regnandi iuribus orbos
Exponit sannis, ridiculisq́ iocis.
Hac authore nouis surgunt noua regna coronis,
Quæq́ stetere diu funditus intereunt.

Res, quæ est communis, & publica ciuibus vrbis,
Huius ad arbitrium stat q; cadit q; rei.
Multa ruinoso subsidunt mœnia vallo,
Quæ tamen hac magnum sub duce robur habent.
Multa putes validis pomœria stare columnis,
Quæ tamen hac casum non inhibente ruunt.
Cuncta sciendarum hæc aperit mysteria rerum,
Quicis Aganippææ sunt in amore deæ.
Quos hæc inuidiæ liuore coinquinat, illos
Non sinit Aonÿ sacra videre chori.
Quamuis aëreas transmittere cœperis Alpes,
Hac comitante citi more fereris equi.
Ibis iens peregrè velut ire solet testudo,
Nî regat hæc cœptas, promoueatq; vias.
Sudor amaroris fit in hac dulcedine dulcis,
Quíque est cerdonis, artificisq; labor.
Magna sui sentit fastidia cerdo laboris,
Qui pro hac melliferæ non operatur ape.
Hac operum curæ potiuntes sine quiescunt,
Hac quæcunq; carent sine quiete carent.
Hæc generis fons est, & nobilitatis origo,
Hæc formam pariter cum grauitate creat.
Hac sine longæuis inuanùm regibus ortos
Iactabis proauos sceptra tulisse tuos.
Haud illaudati præforma vultus Adonis
Hac sine Thersitis est quasi larua genis.
Qui vel vbiq; iacet proiecta vilior alga,
Irus in hac subitò coniuge Cræsus erit.

Hæc

Hæc velut humanæ proba pharmapotheca ſalutis
Ferre poteſt miſeris more medentis opem.
Qui nequit hac medica quando miſer indiget vti
Eſt quaſi lethalis publica noxa luis.
Quamuis omne feras tanquam res optima punctum,
Huic tamen expunctus peſſima prorſus eris.
Hæc gaudere facit ſapientis nomine ſtultum,
Et graue prudentis munus obire viri.
Quiſquis in hac non eſt ſapiens quaſi ſtultus habetur,
Et quaſi quod vacuum ſit ratione caput.
Regnat in incertis Regina Pecunia rebus
Moribus ambiguæ, quæ ſtat in orbe, deæ.

Reginæ Pecuniæ Libri primi

FINIS.



Ioannis Secundi BATAVI,

ET

MATTHIÆ LEJ GERMANI

REGINÆ PECVNIÆ REGIA.

Anno Domini 1623.

Ad Ioannem Secundum,
Qui olim inuictiſſimo Romanorum Imperatori, Carolo Quinto, *fuit à ſecretis Lat.*

Ordo tuus non eſt, titulusq́, Secunde, Secundi,
Qui ſummo vatum principe digna canis;
Qui dum caſtra tuæ ſequeris diuina Mineruæ,
Fers ſub Gradiuo me prior arma meo.
Quanta ego Matthias *tibi ſum ratione Secundus,*
Tanta Ioannes *tu mihi Primus eris.*

Ad Momum.

Armatum, ſi, Mome, ſapis, vereare poëtam,
Tutiùs in vatem, qui ſit inermis, ages.
Leius arma gerit ſacrum virtutis in hoſtem,
Inuaſura tu — ſi mereare, caput.

IOHANNIS SECVNDI BATAVI, ET *Matthiæ Lej Germani,* REGINÆ PECVNIÆ REGIA.

LOnga canernoſæ multis ambagibus oræ
Eſt via, quæ petitur ſuprema regia diuæ,
Diuæ, inquam, illius, quæ cuncta negotia ſummo
Cum Ioue diuiſi regit arbitra maxima mundi.
Si famæ ſit habenda fides, memoratur haberi
Quà Tagus auriferas ex amne profundit arenas
Orbis in omnigenas quadam quaſi fulgura terras.
Nullus in hanc aulam tranſmittit lumina Phœbus,
Nec qui aperit cœlum, quod nox obſcura tegebat,
Nec qui habet ambiguum ſpaciis æqualibus axem,
Nec qui cum ſeris decliuior occidit horis.

Eequis enim rutili fulgore coruſca metalli
Atria, vel clari ſplendore ſerena pyropi
Cynthius accenſa nequicquam lampade luſtret?
Regina in medijs magnæ penetralibus aulæ
Aurea tota ſedens ſolio ſublimis in aureo,
Diffundit radiantem omni de corpore flammam.
Talis erit ſpecies, ſolido ſi cudat ab auro
Intonſi ſtatuam Phœbi Vulcanus, & ora
Flammigeris cingat radijs, & in igne repoſtam
Educat ſubitò, candentia pondera, maſſam.
Hæc eſt illa, cui famulatur maximus orbis,
Diua potens rerum, domitrixq; Pecunia fati,
Magna Telluris, Plutiq; ſacerrima proles:
Cuius adorati petierunt ſæpe tyranni
Fœdera, ſæpe tamen non obtinuere petita
Ex quo Pellæi iuuenis temerarius ardor
(Credere ſi fas eſt, ſi non eſt vana vetuſtas)
Munificæ tentauit heræ violare pudorem.
Illa etenim ex hora ſecretis tecta ſub antris
Quæſiuit rediens in viſcera matris, & altos
Sæpijt inuicto claudens adamante penates.
Prima quidem teritur concurſu ſemita denſo,
Creber enim pede pes vrgetur, & omnis vbiq;
Turba hominum collecta ruit properanter eódem.
Antra ſonant plauſu gradientum, dura gemiſcit,
Et ſubſidit humus repetito ſaucia paſſu.
Non tam multa ſolo biſidis veſtigia punctis
Seruat areno ſo dit s quæ mille coloni

Læta greges via balanteis in pascua mittit.
At postquam in tenebras, & in auia tesqua locorum,
In q́ vias multis erroribus, & labyrinthis
Ambiguas ventum est, animos exuta priores
Sat sine mente cohors, vsu rationis, & omni
Consilio, sensuq́ animi, nec habent tantillum,
Quod sperent: pars magna retro indignata meuetur,
Pars cœptis operosa vijs insistit, & omnes
Rumpit anhela moras inuiti nescia fati.
Nam crebris mox ægra malis tabescit in antro,
Corporibusq́ vias morientibus intercludit.
Syderibus verò pauci melioribus orti
Ardua quæsitæ intrauere palatia diuæ,
Sed stupuere nouum ad lumen, tenebrisq́ viarum
Iam pridem assueti non sustinuere nitorem,
Quem Regina procul natiua ex luce profundit
In cunctos vastæ secessus eminus aulæ.
Hinc fit quòd stupidis noctem lux orta perennem
Protinus effundens oculorum fregerit orbes
Nunquam visuris radiantia numinis ora.
Porrò ex his aliqui meta propiore potiti
Et faciem Augustæ inspiciunt, & amore fruuntur.
Sic oculis illustre notant Hyperionis astrum
Qui non degeneres nati Iouis alite pulli
Fiunt sollicitæ charissima pignora matri.
Hi cum ipsa ludunt, cumq́ ipsa epulantur, & omni
Rebus in humanis cum ipsa potiuntur honore
More triumphantum terraq́ mariq́ potentum.

Est opus in primis mirum, & memorabile portis,
Mente laboratum sculptoris & arte supremi,
Perpetuoq; nouum, quamuis omnino vetusti
Ad nos à prima descendat origine mundi.
Hic simulachra suos argentea, & aurea vultus
Vndiq; conspicuos medio cum corpore produnt:
Et ne quid vacuum sit in his, vel inane figuris,
Omnia continuus replet interualla smaragdus.
Quamuis nata humilis, sedet hic tamen ordine Tellus
Alma parens primo gremium interpicta profundum
Syluisq; fluuijsq;, & floribus, & montosis
Molibus, & patuli sub vallibus æquore campi:
Tellus diues opum Cereris, diuesq; Lyæi,
Diues & Hesperidum lucis, & Adonidis hortis:
Tellus, quæ rutilum flauo sub cortice ramum
Ex se producit, quem Troius obtulit heros
Dona ferens Hecatæ quando descendit ad imos,
Liberaq; ad superos iterum vestigia vertit.
Tellurem magno circumsonat æquore Nereus,
Et centum natæ Nerei de stirpe sorores.
Has inter quædam ventis Borealibus algent,
Nonnullæ vruntur Eoi solis in æstu,
Sunt, quæ subduntur pluuij ditionibus Austri,
Et sunt, quæ occiduis Zephyro perflantur in oris:
Hæ caput attollunt, illæ depressius abdunt,
Pars ducit choreas, pars cætum auersa relinquit,
Et pars germanæ reddit sua brachia turbæ.
Fluctu proiectis allent in littore spumis:

Quin

Quin vaga: quæ omnigenæ manant de finibus oræ,
Flumina in Oceanum turbatum Aquilone feruntur
Absorbenda mari: Tagus, & Pactolus, & Hermus
Decurrunt flaua distincti flumen arena,
Et puro per culta auro splendentia fusi.
Haud aliter quàm cum rutilantem Mulciber antris
Vidit in Ætnæis riuum è fornace profusum
Quum noua sollicito procuderet arma Tonanti,
Arma Gigantæum castigatura Gradiuum.
Rex iuxta rutilante Midas stat auarus in auro,
Auro, quod nullis in aquis molescit, vt illic
Æternùm stolidi spectetur imago tyranni,
Qualis erat cùm stulta videns sua vota doleret,
Et cùm iam odisset quod ante optauerat aurum.
Stat quoq; nunc oculis etiam formidine plenis,
Vix credens somno captum recubare draconem,
Magni quondam operis victor Pagasæus Iason.
Hos inter medio summus stat in ordine Princeps,
Qui mouet humanas per sæua tonitrua mentes,
Cui nullus modò terror inest, cui sceptra gerendi
Cura deest, vultusq; dei, pluit æthere ab alto
Iuppiter indomitis resolutus pectora flammis,
Perq; nouos, miroſq; modos auroq; parentem,
Custodesq; auro fallens, auroq; puellam,
In gremium Danaës flauo descendit in imbre,
Et subitum dominæ instillat lasciuus amorem.
Hæc tria iucundæ instituens spectacula scenæ,
Sæpe suis Regina iubet seruire triumphis.

Aſt illam criſtas, animumq; tumore ſuperbum
Aulai in medio, & ſceptrum regale gerentem
Circumſtant varij, ſeruilia corda, miniſtri.
Hinc rigidam furibunda quatit Bellona bipennem,
Diues ouans ſpolijs, &, qui eſt cacodæmone peior,
Mars caſtris eſt præſtò ſuis: ruit hoſtis in hoſtem,
Tympana cum lituis, furioſæ claſſica pugnæ,
Dant animos viresq; viris, qui prælia miſcent:
Quin patulis tormenta vomunt ex rictibus ignes
Bellica ſulphureos, altaſq; tonitrua in auras
Exonerata ferunt: vrbes patiuntur, & arces.
Parte ſed ex alia nitido placidiſſima vultu,
Maturiſq; grauem ſpicis redimita capillum
Pax venit, oſtentans ex Palladis arbore frondem
Terrarum populis, ſed dignis pace ferendam.
Egremio Bacchus fluit, & Pomona, fauentes
Indigenis pariterq; Ceres, Autumnus & Æſtas.
Quæ poſtquam fuerint habituris lecta repente
Fiunt argenti preciosa metalla vel auri.
Hic elata ſupercilio, vultuq; ſupino
Prodit inhumanum moroſa ſuperbia faſtum.
Huic in diuitijs paſſim fundata poteſtas
Ius, quod habet confert, & mentis imago maligna,
Seruit adulator, formæq; ſuprema venuſtas
Non ſine laude ſui mirè commendat ouantem.
Fortuna ante alios multum ſibi iuris in aula
Vendicat, & multum ſibi numinis arrogat, vtens
[illegible] quam gratia nunquam

Deserit, & nunquam fauor intermittit, & illa,
Quæ per iudicium delirat opinio vulgi.
Virtus, quæ grauibus caput obiectare periclis,
Et rerum summis instare laboribus ausit,
Vt tandem astrifero victrix consistat Olympo
Inter palmiferos, vulgus cæleste, Quirites,
Fortunam aspiciens diuino fulgida vultu,
Infortunatæ nequicquam more ministræ
Deuenerata colit, sed abhorret, & odit, & angit.
Ingenij genius, quinimo industria, & artes,
Quæ sunt ingenij fœtus, virtutis amantes
Ardua difficili vestigia calle sequuntur,
Et mortale genus, quod alunt, super æthera tollunt
Perpete continuæ victurum nomine famæ.
Proxima, quæ est summi Diuina propago Tonantis,
Quæq; satellitio stipatur sceptra gerentum,
Stat pia Relligio, vultum mutata priorem,
Neglectamq; comam vilemq; humilemq; lacernam,
Et peram, & baculum sine suspicione dolonis,
Et pariter capitis simplex in vertice tegmen:
Nam bene compositos gerit in statione capillos,
Et factam ex auro, fortunatisq; lapillis
Mitram, stellati quoddam quasi sydus Olympi:
Splendida quæ pulchris intexitur insula filis,
A capite ipsius scapulas petit, aurea ad imos
Palla fluit talos, quæ digna est numine vestis:
Gestat Erythræas diuerso nomine gemmas
In manuum digitis, Indisq;, Arabisq; metallum,

Amplexata pedum dextra, librumque siniſtra.
Et ſacræ leges, & non violanda ſupremi
Iura magiſtratus dominæ violantur amore.
Hæc ſunt, quæ ſumma ingenij inconſtantia in omnem
Vertunt ſe faciem, & Vertumnum & Protea vincunt,
Et amoſos leuitate deos, vicium q; magiſtram.
Hæc puto, quæ laruis tam ſunt monſtroſa, quodinde
Regina immodico ſua ſentiat ilia riſu
Diſtendi tanquam turgentes flatibus vtres.
Hic fraudes, et furta latent, Stygioq; creatæ
Ex Erebo inſidiæ cum proditione iacentes
Impia auaritiæ circum præcordia matris:
His totum obſcura caput occultatur in vmbra,
Ne prodant faciem cum moribus Harpyiarum.
Eminet vna inter reliquos ſpectabilis omnes,
Quæ procul auditos iacit ex pulmone cachinnos,
Funeſtam innocuo chlamydem perfuſa cruore,
Contemptrix hominum pariter diuumq; rapina.
Huic tanquam iurata comes violentia præſto eſt,
Et capitale nefas, & amor ſceleratus habendi,
Et qui ſunt furijs noti infernalibus omnes
Aſtræa, & reliquis cælos habitantibus hoſtes.
Auriuoris huc fertur equis, curruque volucri
Præcipitata rapit celeres vſura calendas.
Hæc fera vipereo veluti Megæra flagello
Cædit egeſtatem, cuius cum carne medullam
Abſumit, totumq; haurit quaſi hirudo cruorem,
Arida cum venis, & neruis oſſa relinquens.

Et quæ fatum animo Libitina laceſſit iniquo
Quando rogos transfert, crudelis hyæna ſepultis
Hinc optata ſuis petit adiumenta pheretris,
Et quæ funeſtæ proſunt compendia pompæ.
Aureaq́ inſomnes circum laquearia mentes
Continuant longo vanas examine curas.
Qualiter (vt fama eſt) Stygiæ per inania ripæ
Palantes volitant animæ, quas fata ſepulchris
Fecerunt inhonoras ſuis, & ſedibus orbas.
Nec minus interea riſus cum luſibus, & cum
Dulcibus illecebris diuumq́ hominumq́ voluptas
Sub teſtudineis exercent plurima paſſim
Ludicra porticibus, iuuenumque caterua puellis
Grata ſodalis adeſt, & mutua gaudia captant.
Præſidet his dominans laſciuis Cypria turbis,
Arcitenemſq́ ſuis telis puer eminus inſtat:
Inq́ ipſam dominam crudelibus improba flammis
Spicula molitur, nullas ſed habentia vires.
Hac puer in ſola inualidos ſine viribus arcus
Sæpe ſuos reperit, obtuſas ſæpe ſagittas
Fregit, & in terram proiectas calce petiuit
Deteſtans, fleuitq́ grauem commotus ob iram,
Nec fuit ipſa potis flentem compeſcere mater.
Ipſius Regina ſuo ſe paſcit amore,
Et thalamo excludit iuuenes exoſa, ſenileſq́
Occupat amplexus, & in oſcula proruit vltro
Frigida morboſæ quaſi mortis in ora podagræ.
Non illos madidi mirrha redolente capilli

Non habiles artus, non doctis apta choreis
Tibia, non linguæ facundæ sermo, nec omnes
Omnino ingenuæ cum Musis omnibus artes,
Vlla nec harmonicis indulgens Musica neruis,
Nec quæ sunt niueo suspensa monilia collo,
Ebria nec Tyrio commendat murice vestis.
Si tamen hæc iuueni coniux indulserit, ô quàm
Fortunatus erit iuuenilibus ille diebus,
Si non vxoris mores corruperit vsu:
Illi thesaurum miti cum corde recludens,
Larga suum confert argenti pondus, & auri,
Exemptum cunctis ne det fastidia curis,
Quod q́ animos recreet mœstos, & turbida mentis
Nubila discutiat, & proclinata iuuentæ
Tempora florentis longos extendat in annos,
Vnde homines pariter q́ deos sibi quærat amicos,
Et lætam ipsius fortunam ponè sequatur
Gloria cum imperio, & cum æterno fama triumpho.
At verò tanto ex numero, qui maxima complet
Atria, crnspicitur vatum vix vnus eorum,
Qui sunt veraces, mendaces more procorum
Fraudibus vtentûm, frontem q́ caput q́ profana
Laurigero cultu abiecto cinxere tiara,
Fallentes dominam cautæ velamine laruæ.
O vós felices, quibus est mens anthea, vates,
Vos, quibus Aonijs est conuersatio in hortis,
Et cum non paruis indulta licentia diuis
[illegible] supremi numinis odas;

Aſt infelices, quòd vobis inuidet illa,
Cuius ad imperium terræ tremit orbis, & in ſe
Expauefacta redit quà fluctuat Amphytrite.
Hanc ego in auguſtam ſine motu corporis aulam
Vnà cum ſomno mecum ronchante profectus
Sæpe mihi optatam dominam per ſomnia vidi:
Inq́ ipſa cupiens oculos ſtabilire, precabar,
Ne meus hoc fugeret comes à me tempore ſomnus,
Et ne me peteret quiſquam ore ſalutis amicus,
Turbaretq́ gradu, ſtrepitum faciente, verebar:
Sed nihil effeci: vix primo in limine viſum
Cum ſomno Regina meo me fuſte fugauit,
Imperioq́ fugam, verbiſq́ minacibus vrgens,
Preſſit, veridicum nequicquam paſſa poetam.
Mox cum Regina, cumq́ ordine maieſtatis
Omni regalis, cum gemmis, cumq́ metallis
Argenti atq́ auri, cum cunctis demiq́ gazis
Regia tota nigras hæc euaneſcit in auras,
Et nox cum tardis tenebroſa ſuperfuit horis.

Reginæ Pecuniæ Regiæ

FINIS.

BRITISH
MUSEUM

Anglia propugnaculum orbis terrarum, beneficio naturæ munitissimum, regi IACOBO *submissum.*

SI sapis, *Alcide*, tot scuta, tot arma verere,
Quot plaga, quæ totidem regna gubernat, habet.
Quæ per regalem nequicquam ingloria stirpem
Bis diadema duplex, bis duo sceptra gerit.
Quæ tot natiuas potis est armare phalanges,
Quot sunt cum ætherijs sydera nata polis.
Quæ sub magnanimo terraq́ mariq́ Gradiuo
Milite in hostiles fertur ouante globos.
Quæ velut alma suis mater largitur alumnis
Quod mira prægnans fertilitate parit.
Quam muro, & vallo circundedit Amphytrite,
Et quinque augustas fecit habere fores.
Orbis vt inuictam terrarum noueris arcem,
Herculi inaccessam noueris Albionem.

Potem

Potentia Londinatum.

S. P. Q. L.

O Europæi, Londinum, gloria sceptri,
Orbis terrarum portus, & emporium.
Hactenus vrbs ingens, sed nunc ingentius vrbe
Illustri paruus nomine mundus eris.
Ex splendore tui, vel maiestate senatus
Arguitur magnos te statuisse deos.
Cui tua vis nota est non est ignota potestas
Quanta sit humani regibus imperij.
Summa voluntatis fastigia conscendisti,
Fœlix, si steteris, altiùs ire nequis.

Regina

Regina Pecunia de ſemetipſa ænigmaticè pariter et apologeticè.

SVm dea, ſed mutæ, ſurdæq; ſimillima Veſtæ,
Quæ materna meæ iura parentis habet.
Regia diuorum non poſſum ſceptra tueri,
Nec cui *Iunonis* more marita peti:
Sum Regina tamen mortali credita vulgo,
Quæ quaſi nupta *Ioui* cum *Ioue* cuncta regam.
Quæ velut humanæ incantatrix maxima turbæ
Pectora peruertam, fanda nefanda patrem.
Quæ tam diuerſis inconſtans vultibus vtar,
Quàm dea quæ inſtabiles gignit in orbe vices.
Ne tamen iniuſto in me iniurius irruat auſo
Momus in innocuis me ſinatire vijs.
Quando legitimum, iuſtumq; aſſumor in vſum,
Gaudeo ſyderei me genus eſſe poli,
Verùm quando aliquis grauiter me exercet abuſus,
Triſtor me Stygiæ nomen habere deæ.
Quum neutro vſurpata modo cuſtodior, in me
Torpeo, ob vmbroſum vix mihi nota ſitum.
Qui ſcelerum authorem me nominat inſcius errat,
Non ſum damnato cauſa dolenda reo.
Nulla mihi eſt leuitas, animi inconſtantis imago,
Nec mea quid grauitas improbitatis habet.
Deniq; credar homo, ſi quo arguar improba facto,
Si leuis, humana ſim leuitate leuis.

ENGLAND
The inuincible hold of the whole world, and now vnder the gouernment of King IAMES.

WEr't neere ſo ſterne a foe, beware of Englands armes,
Which equall to her kingdomes are, ſhe ſcornes your thickeſt ſwarmes.
Who for renowned Pedegree, deſcent of royall Race,
Doth weare twice doubled Diadem, and ſway twice doubled Mace,
Who out of Brittaines borne, as many ſtrong can muſter,
As ſtarres betweene each diſtant pole, in multitudes doe cluſter:
Who oft by ſea, by land great conqueſts hath obtained,
Gainſt troupes of foes, with companies by captaines skilfull trained.
Who for her natiues borne yeelds plentie void of toile,
Prouiding like a tender nurſe; abundance is her ſoile.
Whoſe wals are Ocean waues, whoſe trenches billowes ſtout:
Her Cinque Ports moſt magnificent, for trading in and out.
Wouldſt know, ô foe, the worlds inexpugnable land,
England is ſhe that feares not force of any hand.

The

The ſtately potencie of Londoners exhibited to the honourable bodie of the Citie as one Corporation.

LOndon for gouernment, our Europes cheife renowne,
The worlds, as twere, great Rendevous, the Hauen & Merchant (Towne
Time out of minde thou haſt a citie ſtrong remained,
Too low a ſtile; thou better mayſt the name of world be deigned.
The beautie of thy building and ſtate of Regiment,
Doe proue thy frame concluded in ſome Heauens Parliament.
Who knowes thy power alone, beſides all other things,
May iudge what power imperiall belongeth vnto Kings.
Much higher then thou art how couldſt thou wiſh to be?
Hold there and happy, though thou groweſt no taller Tree.

MONEY

MONEY, *as a Queene Apologizing for her selfe vnder this Ænigma or Riddle, following.*

OF some a Goddesse I am deem'd, but like to *Vesta's* shrine,
Who's faine to play the Mothers part to dig me from the mine.
So sway, alasse, too weake the Scepter of the Gods,
My Marriage *Iuno*-like, 'tweene vs there's wondrous ods.
Yet deemd of vulgar sort a wight of royall state,
As though I were *Ioues* wife and fellow-ruling mate.
Inchantresse of Mankind, I turne men to and fro,
To thinke or act this good, that ill, I force both high and low.
And fortune-like, whose properties so variable bee,
Vnconstant eke, I doe assume as various shapes as she.
Yet soft, least wrong'd I be by malaperting Mome,
And charg'd to goe astray, by his foule-mouthed fome,
Reseru'd for lawfull vse I am as though aliue;
And prety proud my Pedigree from heauen I can deriue.
But for their purpose vile when earth-wormes me vp-rake,
How grieue I, that am thought a brat of Stygian Lake.
When for no vse I am lockt vp in Prison fast,
I lye forlorne and dead with rust all ouercast.
Of villanies the cause who calls me, erres of spight,
Thou guilty blame thy selfe, cleere me, and doe me right.
I am not out and in, nor of vnconstant minde
I am not so vnstaid, nor of that wicked Kind.
Well, iudge me like to other, conuinc'd as bad as they,
Tis but mens leuity which in my nature sway.

Ad candidum Lectorem.

Qvinque libros, candide Lector, de Regina Pecunia conſcripſi, quorum primum hic habes, quatuor reliquos premo. Opus vniuerſuum flagitat Mecœnatem. Inuito non vult obtrudi. Non dignatur eſſe domeſticum inhumanitatis. Renuit frequentare habitaculum ingratitudinis. In turpes auaritiæ ſordes inuehitur. Euehit encomijs honeſtos liberalitatis mores. Lucem videbit quando anima munificentiæ fecerit libertum quod omnium ſæculorum ſeruum ex vtero intellectus mei procreatum eſt liberum. Vale.

FINIS.